

dixit? « Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte,
 » dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus? » Ut
 autem inveniret Deum suum, quid egit? « Hæc meditato
 » sum, inquit, et effudi super me animam meam¹. » Ut
 inveniret Deum, effudit super se animam suam. Non ergo
 sic tibi dicitur : Humilis esto, ut non sapias. Humilis esto
 propter superbiam; altus esto, propter sapientiam. Audi
 evidentem sententiam de hac re : « Nolite pueri effici men-
 » tibus, sed malitia infantes estote, ut mentibus perfecti
 » sitis². » Certe explicatum est, fratres mei, ubi nos Deus
 voluit esse humiles, ubi altos : humiles, propter cavendam
 superbiam; altos, propter capiendam sapientiam. Lactare,
 ut nutriaris; sic nutrire, ut crescas; sic cresce, ut
 panem manduces. Cum enim cœperis panem manducare,
 ablactaberis, id est, jam tibi non opus erit lac, sed solidus
 cibus. Et hoc videtur dixisse : « Si non humiliter sentie-
 » bam, sed exaltavi animam meam : » id est, si non mente,
 sed malitia parvulus fui. Quod significans, dixit superiora
 verba : « Domine, non est exaltatum cor meum, neque in
 » altum elati sunt oculi mei; neque ingressus sum in mag-
 » nis, neque in mirabilibus super me. » Ecce quia mali-
 tia parvulus fui. Sed quia sensu non fui parvulus : « Si
 » non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam : »
 retribuatur mihi quod retribuitur parvulo, qui ablactatur
 a matre; ut jam panem sim idoneus manducare.

XIII. Et hæc ergo, fratres, sententia non displicet, quia
 non est contra fidem. Movet me tamen, quia non tantum
 dictum est : « Quemadmodum qui ablati sunt a lacte, sic
 » retributio in animam meam : » sed additum est : « Quem-
 » admodum qui ablati sunt a lacte super matrem suam,
 » sic retributio in animam meam. » Hic mihi nescio quid
 tale occurrit, ut videam quia maledictum est. Ablactatur

¹ Psal. xli, 4, 5. — ² I Cor. xiv, 20.

enim non infans, sed jam grandiusculus. Qui autem in-
 firmus est prima infantia, quæ vera infantia est, super
 matrem suam est; si forte fuerit a lacte ablati, extingui-
 tur. Non frustra ergo additum est, « Super matrem suam. »
 Ablactari enim omnes possunt crescendo. Qui crescit, et
 sic ablactatur, bonum est illi : qui autem adhuc super
 matrem suam est, perniciosum. Ergo cavendum, fratres,
 et timendum est, ne quis ante tempus ablactetur. Nam
 omnis grandis puer separatur a lacte. Sed ne quis tunc a
 lacte separetur, quando adhuc super matrem suam est.
 Cum autem portatur manibus matris, qui portatus est
 utero, (portatus est enim utero, ut nasceretur; portatur
 manibus, ut crescat;) lacte opus habet, adhuc super ma-
 trem suam est. Non ergo velit tunc exaltare animam suam,
 cum forte minus idoneus est ad capiendum cibum, sed im-
 pleat præcepta humilitatis. Habet ubi se exercent : credat
 in Christum, ut possit intelligere Christum. Videre Ver-
 bum non potest, capere non potest æqualitatem Verbi
 cum Patre, æqualitatem Spiritus sancti cum Patre et Verbo
 nondum potest videre : credat hoc et sugat. Securus est,
 quia cum creverit, manducabit, quod non poterat ante-
 quam sugendo cresceret : et habet ubi se extendat. « Al-
 » tiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris : »
 id est, ad quæ capienda minus idoneus es. Et quid facio,
 inquis? Sic remanebo? « Sed quæ præcepit tibi Dominus
 » illa cogita semper¹. » Quæ tibi præcepit Dominus? Fac
 misericordiam, pacem Ecclesiæ noli dimittere, in homine
 spem noli ponere, desiderando miracula noli tentare
 Deum. Si jam est in te fructus, cognoscis quia cum bonis
 toleras zizania usque ad messem², quia cum malis ad tem-
 pus potes esse, non in æternum. Palea hic tibi mixta est
 in hoc tempore in area, in horreo tecum non erit. « Hæc

¹ Eccli. i, 22. — ² Matth. xiii, 30.

» quæ tibi præcepit Dominus, illa cogita semper. » A lacte non separaberis quoad usque super matrem tuam es; ne prius fame moriaris, antequam panem manducare sis idoneus. Cresce, erunt validæ vires tuæ; et videbis quod non poteris, et capies quod non capiebas.

XIV. Quid ergo, cum videro quæ non poteram capere, jam securus ero? perfectus ero? Non, quandiu hic vivis. Ipsa est perfectio nostra, humilitas. Audistis quo conclusit modo apostolica lectio, si hæsit in memoria vestra: quomodo ille qui accepit colaphum ne extolleretur in revelationibus, (quanta ei revelabantur?) propter ipsam magnitudinem revelationum, quia poterat extolli, nisi acciperet angelum Satanæ: et tamen cui tanta revelabantur, quid ait? Fratres, ego me ipsum non arbitror apprehendisse. Paulus dicit: « Fratres, ego me ipsum non » arbitror apprehendisse¹: » qui ad hoc accepit colaphizantem angelum Satanæ, ne extolleretur in magnitudine revelationum suarum². Quis audet dicere quia comprehendit? Ecce Paulus non apprehendit, et dicit: « Non me » arbitror apprehendisse. » Et quid ais, o Paule? « Ad- » huc curro, inquit, ut apprehendam. » Adhuc Paulus in via est, et tu te putas in patria? « Unum autem, inquit, » quæ retro sunt oblitus. » Hoc fac et tu, et vitam præteritam malam obliviscere. Si te delectavit aliquando vanitas, non te delectet. « Quæ retro oblitus, inquit, in ea » quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor » ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu³. » Audio vocem Dei desuper, et curro ut apprehendam. Non enim dimisit me in via remanere, quia non cessat alloqui me. Ergo, fratres, non cessat Deus alloqui nos. Nam si cessat, quid est quod agimus? Quid est quod agunt lectiones divinæ et cantica divina? Obliviscimini ergo quæ

¹ Philip. III, 13. — ² 2 Cor. XII, 7. — ³ Philip. III, 12-15.

retro sunt, et in ea quæ ante sunt vos extendite. Sic surgite lac, ut crescatis ad cibum. Cum ergo veneritis in patriam, gaudebitis. Et adhuc attendite Apostolum sequi ad palmam supernæ vocationis. Dicit enim: « Quotquot » ergo perfecti, hoc sapiamus¹. » Non loquor, inquit, imperfectis, quibus adhuc non possum loqui sapientiam, qui adhuc lacte potantur, non solido cibo pascuntur: sed illis dico, qui jam manducant solidum cibum. Jam videntur esse perfecti, quia intelligunt æqualitatem Verbi cum Patre: adhuc non sic vident, quomodo videndum est, facie ad faciem; adhuc ex parte in ænigmate². Currant ergo, quia cum via finita fuerit, tunc redimus ad patriam. Currant, extendant se. « Quotquot » ergo perfecti, hoc sapiamus: et si quid aliter sapitis, » hoc quoque vobis Deus revelabit. » Si forte erras in aliquo, quare non redis ad lac matris? Quia si non extollimini, quia si non exaltatis cor vestrum, quia si non ingredimini in mirabilibus super vos, sed servatis humilitatem, revelabit vobis Deus quod aliter sapitis. Si autem hoc ipsum quod aliter sapitis, defendere vultis, et pertinaciter astruere, et contra pacem Ecclesiæ; fit vobis maledictum hoc quod dixit: super matrem cum estis et foris a lacte separamini, foris a visceribus matris fame moriemini. Si autem perseveratis in pace catholica, si quid forte aliter sapitis quam oportet sapere, Deus vobis revelabit humilibus. Quare? « Quia Deus superbis resistit, humilibus autem » dat gratiam³. »

XV. Ideo ad hoc conclusit hic Psalmus: « Speret Israël » in Dominum, ex hoc nunc et usque in sæculum. » Quod enim scriptum est græce: ἀπὸ τοῦ νῦν καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος; hoc expositum est, « Ex hoc nunc et usque in sæculum. » Sed non semper sæculi nomen hoc sæculum significat, sed ali-

¹ Philip. III, 15. — ² 1 Cor. XIII, 12. — ³ Jacob. IV, 6, et 1 Petr. V, 5.